

www.e-rara.ch

**Ad repetita F. Turriani monachi Iesuitae Sophismata de Ecclesia et
Ordinationibus Ministrorum Ecclesiae Responso**

Chandieu, Antoine de

Morgiis, 1583-1584

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1332>

Locus VIII. Heb. 10

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



LOCVS VIII. HE B. IO.

Lex umbram obtinens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerū, iis hostiis quas singulis annis easdem assidue offerunt, nunquam potest accedentes sanctificare, &c.

Sophistia Turriani.

Umbram, inquit, habebat Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. In nouo igitur Testamento, non sunt umbra, sed imagines earum rerum quae aperte & sine ullo enigmate in caelo sunt. Itaque in imaginibus ac mysteriis eorū quae in caelo reuelata facile cernuntur, voluit Deus implere in Ecclesia noua veteres umbras & typos. Vnde necesse est ut ita Christus figuram atque umbram throni David nunc impleat, ut non caelo tantum, sed in ipsa Ecclesia quae in terris est, regnet. Quare cum regnet in terra, ac nō per se, consequens necessarium est ut aliquem suo loco constituerit, in quem regnum illud transtulerit, qui personam suam gerat, ac suam ferat imaginem. Is est summus Pontifex Petri successor, & Rex spiritalis Ecclesiae, & imago Regis Christi qui in caelum ascendit. In quo regni spiritalis praeside (quod est Ecclesia) impletur quod dixit Angelus Lucae x. Dabit illi Deus sedem David patris eius & regnabit in domo Iacob in aeternum, & regni eius non erit finis.

Solutio superioris Sophismatis.

NOuo quodam argumentandi genere ex vna negatione multas affirmationes, nec eas quidem satis sibi constantes collegit Turrianus: qui ex hoc loco pessimè intellecto, non potuit nisi pessimè argumentari. Quæramus igitur verum sensum huius loci quem Turrianus deprauavit.

*Fera ex-
positio la-
ci.*

Apostolus persequens institutam comparationem Legis & Euangelij, & alludens ad illud exemplar quod octoua cap. dixerat ostensum fuisse Mosi in monte opponit τῆ σινῆ Legis, τῶ εὐαγγελίῳ Euangelij. Per vmbra Legis intelligit legales ceremonias, & ea veteris Testamenti rudimenta, quæ venturum Christum adumbrabant. At nomine τῆς εὐαγγελίῳ significat expressam formam Christi, id est, Christum ipsum, & eius beneficia, quæ nobis per Euangelium conferuntur. Hanc esse sententiam Apostoli docet ipsius loci circumstantia & τῶ θεοῦ. Sic etiam idem Apostolus cap. 8. Legem vocauit σινῆ: & eodem loquendi genere Paulus utitur cap. 2. ad Coloss. Quæ sunt vmbra futurorum, at corpus, est Christi: qui locus hūc de quo agimus exponit. Quare cū in his duobus locis eadē doctrina tractetur, & scripta Apostolica secū nō pugnent, sequitur illa verba ad Coloss. his verbis de quibus disputamus responderi: ἀδὲ ὡς εὐαγγέλιον τῶ σωτηρίας, idē significet quod

*Expositio
nis confir-
matio.*

*Ex circū-
stantia l. ci.*

*Ex alijs
Scriptu-
ra locis.*

τὸ ὄσῳμα, τὴν Χρῆσιν. Ex quibus efficitur Christū
 esse vel corpus, vel expressam imaginem eorum
 quæ Lex olim adumbrabat. Nec obstat voca- *De voca-*
 bulum εἰκόνας, quod quidem, vt vsurpari solet à *bulo*
 Scriptura, sæpe idem significat quod res ipsa. *εἰκόνας*
 Christus enim dicitur esse εἰκὼν τῆς Θεῶ. Et ni- *2. Cor. 4.*
 hilominus ipse est benedictus Deus in secula, *Coloss 1.*
 vt ait Paulus. Itē Christus dicitur accepisse for- *Rom. 9.*
 mam serui: neque tamen id obstat, quominus
 eum verē hominem esse credamus. Ab hoc lo-
 quendi genere nō recessit Lombardus, cum ait, *Sent. 1.1.*
 imaginem aliquando dici secundum essentiam: *vic. 28.*
 nec alienū est quod vulgò dicimus aliquid re- *et 31.*
 presentari, non tātūm cum eius similitudo pro-
 ponitur, sed etiam cum res ipsa præsens sistitur.
 itaque planus est locus & aded apertus vt in co-
 fallacia Turriani latere non possit. Quid autem
 bonus iste Theologus? Lex, inquit, non habuit *Argumē-*
 expressam rerum imaginem: Ergo necesse est *tatio Tur-*
 regni Christi imaginem extare in regno Pon- *riani dis-*
 tificio. Mirum certè ratiocinandi genus: quod *cursus.*
 tamē ne pluribus exagitem: hoc certè primūm
 absurdum est, cum Apostolus de ceremoniis
 legalibus differat, ac p̄fertim de victimis quo-
 tannis offerendis, sermonem ad regnum Chri-
 sti transferre: deinde hoc est absurdius, nouum
 Testamentū in terris cōcludere. Postremò hoc
 omniū absurdissimum est, loco verborum Apo- *Turria-*
 stoli, alia planè substitiuerē, ita vt iā nō ex Apo- *nus ex*
 stoli, sed ex suis verbis Turrianus argumētetur. *suis, nō ex*
 Hęc enim non dicit Apostolus: In nouo Testa- *Apo-*
 k. iiii.

foli ver- mento esse imagines earum rerum quæ in cælo
his argu- reuelata facie cernuntur : nec etiam vera est il-
menatur. la propositio. Nam in nouo Testamento sunt
 & exhibentur res ipsæ , quas hîc quidem vide-
 mus (inquit Paulus) per speculum & per æni-
 gma:at in cælo, coram cernemus. Est igitur dif-
 ferentia, non in rebus ipsis quæ videntur , sed
 in modo videndi. Quamobrem cum Turrianus
 hæc tria constituat, vmbra Legis, imaginem
 noui Testamenti & res ipsas, profert suam, non
 autem citat Apostoli sententiam , qui duobus
 membris contentus fuit. Siquidem expressa re-
 rum imago, nihil aliud est Apostolo , quàm res
 ipsa. Nec enim legales ceremoniæ fuerunt vmb-
 ræ imaginum, sed vmbra rerum, quia earum
 corpus fuit Christus , vt ait Paulus : Christus
 autem est res ipsa, non imago rei. Huc etiam
 spectat quod dicitur nono cap. ad Hæbræos,
 veteres ceremonias fuisse exemplaria eorum
 quæ sunt in cælis. Quis igitur ferat hanc Tur-
 riani conclusionem? Nouum Testamentum, id
 est doctrina Euangelij, nobis ad viuum exhi-
 bet ea quorum *συναγωγίαν* tantum Lex pro-
 ponebat, inquit Apostolus: oportet igitur (in-
 quit Turrianus) imaginem Regni Christi in
 regno Pōtificio extare. Annon ipse sentis, Tur-
 riane, tuum errorem *καθὰ τὸ ἐπιόμυρον*? Hunc
 etiam alium errorem animaduertito, nempe cum
 assumis id quod est in quæstione positum.
 Pernegamus enim regnum illud Pontificium
 nisi nouo Testamento, id est, doctrina Euan-
 gelicæ

Elench.
Turria.

gelica & Apostolicis præceptis: & in hoc cardine status totius disputationis vertitur: tu verò proponis illud tanquã *ὁμολογέμενον*. Ex quibus cuius perspicuū esse potest, nihil tibi, neque regno Pontificio cū hoc Apostoli loco esse commune. Hoc enim sibi vult Apostolus: quoties oculos in Euangeliū cōiicimus, toties nos viuam expressamque rerū earū formā, siue res ipsas intueri, quæ in Lege fuerāt lineis tantū crassioribus adūbratæ. Itaque Apostolus argumētum ducit à veteri Lege ad Christum: tu verò ab umbra legis ad regnū Pontificium: & sic non iam umbrā sed crassissimas tenebras offundis Evangelicæ luci. Nam dū Apostolus nobis explicat quænam sit hæc *εἰκὼν τῶν πραγμάτων*, vnū Christuū proponit, in quo clarissimè relucēt ea quæ Patribus fuerant sub velo proposita. Vt enim a libi dicitur, habemus lumen cognitionis in facie Iesu Christi. Si quæras igitur quænam fuerit umbra Legis: profert Apostolus hostias singulis annis oblatas. Rursus si roges vbi sit expressa illa forma rerū: ita subiicit; Christus, inquit, pro peccatis vna oblata victima in perpetuū sedet ad dextrā Dei, & vnica oblatione cōsecrauit in perpetuū eos qui sanctificantur. Hæc Apostolus: tu verò sermonē transfers ad imaginē regni Christi quam in regno Pontificio constituis. Atqui, Turriane, tantum abest vt vllam Christi imaginē in Pontifice Romano agnoscamus, vt eum potius cum Paulo dicamus esse ipsi Christo *ἑτεροειδές*. *2. Thess. 2.* adeo vt neque *εἰκὼν* *ἑαυτοῦ*

*Turrian.
alienissi-
mus ab
Apostolo.*

2. Cor. 14.

*Pontifex
Rom.
Christo*

*ἀντικεί-
μενον,
mediū eius*

fit, neque *ἐκείνῳ* regni Christi, sed res planè regno Christi cōtrarias. Quare vel tibi renūtiandū est huic loco quē protulisti, vel si illū sequeris, nulla alia statuenda est viua rerū forma præter vnum Christū, nobis in Euangelio exhibitum: hīc enim Apostolus conqueſcit. Hæc nobis dicta sint de huius loci interpretatione. Verūm (sat scio) ista nō satisfaciunt Turriano, vt pote Iesuitæ: quod sectariorū genus audio valde imaginibus delectari, adeo vt imaginē Christi (quem admodū illi fingunt) secū circumferāt, cāmque suis libris soleant præfigere, quod etiā in suo libro curiosè obseruauit Turrian⁹. Quinetiam cōtra expressissimū Dei interdictum, Exod. 20. & c. ausus est in hoc ipso libro affirmare adorandas esse imagines, & honorē ac venerationē prototypi ab honore & veneratione imaginis separari non posse: modò addatur *ἑτερονομία*: quasi verò plebs corā imaginibus & statuis prouoluta, hāc distinctionem vel curet, vel etiā intelligere possit, verāne sit an falsa: sed de hac realitās. Ergo vt Turriano imaginū amatori, propugnatori, pictori, aliqua in re gratificemur: demus aliquas esse in nouo Testamēto imagines. Ecquāsnam? inquis, nēpe ipsam Euāgelij doctrinā, & prædicationem, atque ea omnia quæ ex verbo Dei ad prædicationem Euāgelicam pertinent. Sic enim Paulus ad Galatas 3. c. Quis vos, inquit fascinauit ne obsequeremini veritati, quibus ob oculos Iesus Christus prius fuerat depictus inter vos crucifixus, & c.

Ex

Iesuitæ imaginibus delectantur: adeo vt mirum non sit, Turrianum Iesuitam ita fuisse argumentatum.

Quenam sint imagines in nouo Testamento.

Ex quo efficitur, Euangelij prædicationem esse
 instar præstâtissimæ cuiusdâ picturæ, quæ Christi-
 stum & ipsius beneficia nobis ita ad viuû exprî-
 mit, vt ipsum propemodum oculis subiicere vi-
 deatur. Atque vt de regno Christi agamus, si ro-
 ges quænam fuerit eius vmbra: te ad regni Da-
 uidis memoriam reuocabo: sed si postulas tibi
 dari εἰκόνα τοῦ παρόντος: in Euāgelio, & in nouo
 Testamento: tibi proferam Christum ipsum af-
 firmantem sibi omnem potestatem datâ esse *Mass. 28.*
 in cælo & in terra. Item quod ait Apostolus: O-
 portere Christû regnare vsque quò omnes ini-
 micos subiecerit pedibus eius, & pleraque simi-
 lia quæ passim occurrūt, & nobis expressam re-
 gni Christi formam & εἰκόνα, non corporis, sed
 fidei oculis conspiciendam clarissimè propo-
 nūt. Tu verò vel ex eo poteras ἀνυποῦ huius tuæ
 argumētationis cognoscere: quòd si regni Chri-
 sti imaginem statuis in regno aliquo visibili, iâ
 ad vmbra veteris Testamenti regrederis, & e-
 xortē luci Euangelicæ renuntias. Quineriâ cum
 crassi Iudæi vmbraæ adhaerentes, terrenû Mes-
 siæ regnum etiam ab ipsis Christi temporibus
 cōfingant, & ab illo errore Christus disertis ver-
 bis sæpe suos reuocauerit, nū erit consentaneū
 ipsius regnū visibili aliquo regno in terris con-
 stituto velle exprimere? Hic sit igitur prior tuus
 paralogismus in voce εἰκόνας, quam tu quidē in
 regno Pōtificio, id est, lucē in tenebris, quæris:
 ego verò εἰκόνα in ipso Christo, & in Euangelij
 prædicatione esse ex ipso Euangelio affir- *Duplex
 paralogif
 mus Tur-
 riani.
 Prior, in
 vocabulo
 εἰκόνας*

Posterior in vocabu- lo Regni. Quor mo- dis regnū Dei dica- tur. Alter paralogismus est in dictione, Regni. Quādoquidem regnum Dei dicitur ὁμωνύμως. Aut enim significat summam & αὐτοκρατορικὴν potestatem Dei in omnes res creatas, atque adeo in ipsos homines: vt Pl. 93. & 96. 1. Tim. 6. & c. aut beatissimam illam requiem eternamque vitam nobis in cælo repositam. vt 2. Tim. 4. aut ipsam Euāgelij prædicationem, per quam nobis ad æternū illud regnū patet accessus, vt Matth. 13. Rursus regnum Christi duobus modis consideratur: vel quatenus Christus regnat in suis electis, sui Spiritus efficacia & virtute: vel quatenus imperium in ipsos etiam improbos exercet, pro summa sua iustitia & potestate. Hi duo modi necessariò distinguendi sunt, neque confundi debent, alioquin errores maximi consequentur. Nunc nobis explica quid intelligas nomine regni Christi, cūm ais oportere aliquam eius imaginem existere in terris idque in Romano regno: sic enim vocas Pontificatum Romanum. Citas hæc verba apud Lucā, Regnabit in domo Iacob in æternū. Ergo video te loqui de eo regno quod Christus exercet in electos, quorū Ecclesiā per domū Iacob significari, satis est manifestū. Nā Ecclesia quæ in æternū futura est, ex solis electis cōstat: hypocritarū verò licet ad tēpus in Ecclesia esse videantur, tandem tamē de Ecclesia deiiciendi sunt. Iā cūm regnū illud Romanum in Ecclesia visibili constituas, in qua reprobī mixti sunt cū electis, quos quidē ipse fateris esse in visibiles: efficitur regnum Ponti-

LUC. I.

Pag. 179.

Ponti-

Pontificium non esse imaginem eius regni de quo loquitur Angelus apud Lucam. Atque, ut te ipse refellas, rehero tibi tuū illud argumentum de imaginibus, in quo dicis imaginē eandem esse cum prototypo *ἑλκῶς*: at ex iis quæ modò dixi, constat regnum Pontificiū non esse idem cū regno Christi, ac ne *ἑλκῶς* quidem. Quare illud, huius imago esse non potest.

Quòd autem addis oportere ut Christus alii- *Christus*
quem suo loco cōstituerit per quē regnet, cū *per se re-*
per se non regnet in terris: hoc verò est planè *gnat inter*
αὐθελος. Quomodo enim in suis regnat Chri- *vis, contra*
stus? annò virtute sui Spiritus operātis per Euā- *Turrianū*
gelij prædicationē? Inde enim hæc præstantis-
sima huius regni effecta apud Paulum: Iustitia, *Rom. 14.*
pax, gaudium per Spiritum sanctū. Quæ omnia
Christus per se & solus præstat. Cū igitur re-
gnum Christi spirituale sit, & perpetuò ipsius
spirituali præsentia fruamur (quemadmodum
ipse promisit his verbis: Ecce vobiscū sum vs- *Matth.*
que ad consummationē seculi:) non tantū ab- *28.*
surdum est, sed etiam blasphemum, dicere, re-
gnāti Christo tanquam absenti aliquē in terris
substituendū esse. Audi enim quid dicat Am-
brosius, qui ea ipsa tractans quæ ex Luca cita-
sti. Cælū, inquit, aspice, Iesus illic est: terram in-
tuere, Iesus adest: hodie cū loquor, mecū est:
etsi in Armenia nunc loquitur Christianus, Ie-
sus adest: nemo enim dicit Dominū Iesum, nisi
in Spiritu S. fateor quidē homines adhiberi ad
prædicādum Euangeliū, & ad cætera obeunda

quæ ad ministerium Evangelicum pertinent, quos id circo Paulus ait esse legatos Christi: sed tamen ille solus regnat, solus animos nostros flectit, solus in conscientis nostris dominatur: neque confundendum est externum ministerium cum interiori & spiritali Christi regno. Ita igitur statuamus: fideles Evangelij Ministros, legatos quidē Christi dici posse, & ipsius regni Ministros: sed esse visibile aliquod eorū regnum constituendū, ut sint ἐκόνες regni Christi, iam non esse argumentum disputantis, sed delirium somniantis. Hæc verò Petri verba nobis Turrianus imprudēs subiecit. Licet, inquit Christum nunc non cernatis, tamen credentes exultatis gaudio ineffabili & glorioso. 1. Pet. 1. Ecce igitur, quomodo corporalis Christi absentia non impedit præclarū hoc effectum regni Christi, nempe ineffabile gaudium, quo animæ nostræ perfunduntur, ubi semel oculos fidei in ipsum defiximus. Diceret autem Petrus (siquidem vera nobis narraret Turrianus) se Christi absentis præsentiam supplere, & regnum in Ecclesia visibili exercere. Sed absit ut illud dicat. Erat enim memor huius præcepti à Christo traditi: Reges gentium dominantur, vos autem non sic, & c. Quò sit etiam ut Presbyteros moneat, ne dominium in Cleros exerceant, expectâtes aduentum Christi Pastorum principis: tãtū ab est ut ipsi regnare debeant ad regnum Christi significandum.

Postremò, hoc loquendi genus repetitum à

Tur-

Turrian.
refellitur
ab ipso
Petro
quem ci-
tauit.
Pag. 16.

Mat 20
Mat. 21.

Turriano, Christum regnum suum vel in Eccle-
 siam, vel in Pontificem Romanum transtulisse,
 blasphemia non caret: nam, inquit Paulus, oportet
 eum regnare vsque quò omnes inimicos sub-
 iecerit pedibus eius: tunc autem tradet regnum
 Deo ac patri cum aboleuerit omne imperium,
 potestatem & virtutem. 1. Cor. 15.

*Christus
 regnum
 suum nec in
 Ecclesiã,
 nec in
 Pontificẽ
 Rom. tras-
 tulit con-
 tra Tur-
 rianum.*

Quare vt finem faciamus ex iis quæ antè pro-
 posita sunt, confectum esse arbitramur: Principi-
 patum Pontificium nullo modo esse similitè re-
 gno Christi, quòd Christus ipse professus est
 non esse ex hoc mundo. Ioan. 18. Desine igitur,
 Turriane, regiam illam, aut etiam plusquam re-
 giam Pontificum maiestatem, terrenum splen-
 dorem, fastum, pompam, illecebras, delicias (a-
 lia prætermitto, & quidẽ libẽs) desine, inquam,
 illa omnia cum regno Christi, tanquam tene-
 bras cum luce comparare. Nam Sion, id est, ve-
 ra Ecclesia agnoscit Christum suum regem, iu-
 stum, seruatorem, mäsuetum (inquit Zacharias)
 & cuius regnum non externo rerum humana-
 rum splendore, sed interiori luce in piorum a-
 nimis refulget. Tunc autem verè splendidum,
 magnificum & augustissimum apparebit, cum
 debellatis hostibus, & imprimis Antichristo
 deturbato, Christus veniet cum gloria viuos ac
 mortuos iudicaturus.

*Conclusio.
 Regnum
 Pontificis
 regno
 Christi
 perperam
 Turrian-
 comparat-
 uit.*

*Zach. 6.
 Matth. 23*

Eadem quoque ratione sublatum est aliud
 Sophisma Turriani, dum ait Pontificẽ Roma-
 num esse imaginem Sacerdotij Christi, quem-
 admodum Aaron fuit, ymbra illius. Nam Apo-

Heb. 9. 10 stulus ad Hebræos umbram Aaronis ad vnum Christum refert, neque patitur vt post Christū alij summi Sacerdotes dici possint. Itaque vt

Elench. Turri. regnum Christi in Euangelio tanquam in speculo nos fidei oculis intuemur : ita in illo ipso speculo Christi Sacerdotium contemplamur. Atque vt vno verbo dicam, cū totum hoc argumētum Turriani falsa relata pro veris nobis obrudat, & legales umbras non proximè ad Christum, sed ad Pontificem Romanum refert : sequitur ipsum esse alienissimum, non tantū à Theologia, sed etiam à recta disputandi scientia tanquam *ἑτερόδοξον & σοφιστικόν.*

Itaque superioribus omnibus erroribus hanc certissimam veritatem opponamus. Hoc est noui Testamenti proprium, vt contineat expressam imaginem earum rerum quæ in cælis sunt : (affirmante Turriano.) Atqui tantum ab est vt regnū Pontificiū sit imago expressa regni Christi, vt potius sit illi planè cōtrarium, quandoquidem regnum Christi cæleste & spirituale est : regnum autem Pontificiū terrenum est, crassum, carnale, & aliorum regnorum delicias superans. Ergo regnum Pontificium ad nouum Testamētum, & ad eas res quæ in cælis sunt non pertinet. Ac ne fortè Turrianus suam illam imaginem Pontificiam à nobis planè repudiata esse conqueratur : aliquam ergo rerum præteritarū imaginem in regno Pōificio

Avliφα- (quando ita Turrianus postulat) agnoscamus. Visibile Dauidis regnum in Iudæa, fuit

στ. posterior. umbra

umbra & typus regni Christi in Ecclesia, vt constat ex verbis Angeli: Luc. I. à Turriano citatis. Vt autem priscis illis temporibus Imperatores Romani Iudæam occuparunt, & terrenum Dauidis regnum ad se transtulerunt, atque etiam Præfectus Romanus ex sede iudiciali per vim & nefas vsurpata, Christum verum Dauidem condemnauit, & in crucem egit: ita nouissimis temporibus Romani Pontifices Ecclesiam, quantum in ipsis fuit, occuparunt, regnumque Christi ad se transferre voluerunt, & ex illa sede quam præter ius sâtque vsurpârunt, puram Euangelij doctrinam & eius professores, id est, Christum ipsum, quotidie damnant, & modis omnibus ex cruciandos curât. Quemadmodum igitur Romani Imperatores in Iudæa regnantes, non fuerunt imago regni Christi in Ecclesia regnantis: ita neque Pontifices esse possunt. Quare dicendum est potius, Romanos illos Imperatores Iudæam opprimentes, fuisse umbram & typum eius expressæ imaginis quam in Põtificibus Romanis Ecclesiam opprimentibus, intuemur. Quod etiam & Romanorum nomen, & ipsa Imperij Romani sedes apertè indicat, adeò vt Turrianus non dubitauerit Pontificum primatum regnum Romanum appellare.

Turrianus Pontificis primatum regnũ Romanorum appositè nominauit quandoquidem ad viuum exprimit regnum illud Roman. quo visibile Dauidis regnũ sublatum, & vetus Ecclesia oppressa fuit.
Pag. 14.